

SECVLVM
XI.

rebus ad missæ officium pertinentibus demonstravit. Neque adeo eum latuit, ampliores fuisse inde a sua origine, in occidente præfertim, abbatum prærogativas, quam hæctenus recuperare potuerint, non equidem in ornamentis illis adscititiis, quorum varia fuit origo ac prærogativa, ususque non idem, nec vetustus adeo: sed in eo ipso, quod unum in ordine episcopali præcipuum est, sacris nempe ordinationibus: ad quas iuxta regulam S. Benedicti cap. 62. *si quis abbas sibi presbyterum aut diaconum ordinari petierit*, episcopo equidem præsentabantur monachi ordinandi.

Probat vero Cotelarius in notis ad constitutiones apostolorum, abba-tes saltem in Oriente, si presbyteri essent, potestatem habuisse ordinandi subdiaconos. Quod ipso usu in Occidente confirmatur ex citato Regulæ capite, persuasumque habuit Thomassinus, ipsam monasticam vitam ordinum minorum ac ipsius etiam subdiaconatus vices supplevisse, usus argumento ex S. Gregorio M. qui lib. XII. regist. epist. 12. de Opportuni cuiusdam laici ad episcopatum promovendi examine, eum dicit hortandum, *ut vel monachus vel subdiaconus fiat, & post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri*. S. Epiphanius in epistola ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum, iratum, quod monachum sacris initiaverit, se excusans, nihil de minoribus ordinibus aut subdiaconatu dicit, *sed ordinavimus, inquit, diaconum, & postquam ministravit, rursum presbyterum*. Abbatibus in Occidente, etiam postquam ritus singulorum ordinum inde a prima tonsura curatius sunt ac solemnius inducti, nonnumquam ordinatio subdiaconorum est commissa, minorum autem ordinum conferendorum inde cum ornamentis pontificalibus ordinaria facta est potestas.

In Oriente synodus Nicæna II. generalis can. 14. an. 787. etiam de ordinatione Abbatis rem definit, lectorisque manus impositionem cuique abbati in suo monasterio dandi licentiam esse, *si*, addit, *dumtaxat abbati manus impositio facta noscatur ab episcopo secundum morem præficientium abbatum, dum constet illum esse presbyterum*. Habetur hic ritus in omnibus antiquis ritualibus, qualem etiam in monumentis Veteris Liturgiæ Alemannicæ descripsimus ex Mfc. Biblioth. Cæs. Vindob. primum quidem ex canone Theodori, ut passim habetur, desumptum; deinde alia sequitur consecratio, *quando abbas vel abbatissa ordinatur in monasterio*. Ritus vero ac ipsa consecratio, quæ sequitur, abbatem tantum spectat, & consueta oratione præmissa *Cunctorum honorum operum institutor &c.* sequitur rubrica: *Tunc imponat ei manum super caput, dicens hanc orationem in modum præfationis: Omnipotens sempiternus Deus affluentem spiritum &c.*

Pro-

Concil. Labb.
T. VII. pag.
607.

Vol. II.
p. 104.